

§. XIII.

Cum de LIBERO ARBITRIO atque PECCATO nostram exponimus sententiam, in verbo DEI fundatam, & verbis disertis expressam, ita ut Cassander in Consult. Art. II. p. 909. aliique in Aug. Conf. nihil deprehenderint, quod jure desiderarent, nihilominus & hic plaustra nova convitiatorum in nos sparguntur. Quando enim foeditatem Peccati Originalis, & ortam exinde profundissimam corruptionem humani generis ex Scriptura depingimus, ac evehimus, rursus vero humano arbitrio in conversione vires plane nullas adscribimus, sed omnia ad misericordiam DEI referimus, jaciunt in nos accusationem MANICHAEISMI, non saltem in eo errantes, quod FLACII errorem omnibus evangelicis impudent, verum quod in universum illam, jam olim explosam haeresin, adversus omnem veritatem nobis admetiantur. Ita Bellarminus. Lib. IV. c. 9. de Ecclesia. *Manichaeorum, inquit Hieronymus in praefatione Dialogorum contra Pelagianos, est hominum damnare naturam, & liberum arbitrium auferre. Et Augustinus de haeres. c. 46. Peccatorum originem, inquit, non tribuunt Manichaei libero arbitrio. Idem aperte sectarii omnes. Lutherus Artic. 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo, in assertionibus autem ejusdem articuli dicit esse titulum sine re, & omnia ex necessitate absoluta evenire. Posterius vero nunquam docuit Lutherus, prius non absolute intellectum voluit, sed de objecto Spirituali, nimirum Conversionis opere loquitur. Nihil itaque ipsi & Ecclesiae nostrae cum Manichaeis commercii, qui naturam humanam destitui libero arbitrio quoad omnia etiam civilia, arbitrabantur. Descriptiones ex Augustino pene innumerae suppeditari possent, sufficit vero hos haereticos jam I. Articulo Confess. A. serio fuisse condemnatos. Quo itaque argumento*